

praestationes ex parte populi, quamvis stricte obligatoriae non fuerunt, percipiendi.

Speciales provisiones praecipue ad personam episcopi ejusque officiales referebantur. Non habebat enim propriam residentiam, neque cathedralem, nec certos proventus; ideo oportebat ei aliquo modo provideri. Ad hunc finem decretum fuit: quoad personam episcopi — conventus debebant necessaria ejus sustentationi suppeditare. Hoc vario modo diversis temporibus faciebant, aliquando habebat et parochias sic dictas mensae episcopalis, quod S. Congregatio a. 1676 abrogavit. Quoad residentiam episcopalem — poterat conventum eligere, qui ei melior placuerit. Quoad curiam generatim habebat suum secretarium, Vicarium generalem, ac pro servitio unum famulum, quos etiam conventus sustentabat.

Sub hac forma conservabitur totus organismus curae pastoralis fere usque ad finem dominii othomani in Bosna et Hercegovina etiam sub regimine Vicariorum Apostolicorum, in aliis regionibus usque ad Turcarum de iisdem expulsionem.

---